



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Paulus Papa V. Ad Futuram Rei Memoriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023



PAULUS Papa V.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.



Postolicæ sedi, per abundantiam divinæ gratiæ, nullis suffragantibus meritis, præpositi, nostræ sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quò, sicut admonet Apostolus, omnia in eâ honestè & secundùm ordinem fiant; præcipuè verò, quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei Sacramentorum administrationem: in qua religiosè observari Apostolicis traditionibus, & sanctorum Patrum decretis constitutos ritus, & ceremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur. Quamobrem fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, hujus nostri, tunc sui, officii memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto Missæ sacrificio, divinoq; officio, & simul, ut Catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite B. Petri successore Rom. Pontifice congregata, unum psallendi & orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, Breviarium primum, & deinde Missale Romanum, multo studio & diligentia elaborata, pastorali providentiâ edenda censuit. Cujus vestigia eodem sapientiæ Spiritu secutus similis mem. CLEMENS Papa VIII. etiam prædecessor noster, non solum Episcopis, & inferioribus Ecclesiæ Prælatis restitutum pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus & inferioribus Ecclesiis cæremonias promulgato cærimoniali ordinavit. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri & sinceri Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisq; ecclesiasticis functionibus observari debent, ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ sedis auctoritate prodirent; ad cuius voluminis præscriptum, in tanta ritualium multitudine, sua illi ministeria, tanquam ad publicam & obsignatam

nor-

normam peragerent, unoq; ac fideli ductu, in offenso pede ambularent cum consensu. Quod sanè, jam pridèm agitatum negotium, posteaquam generalium conciliorum, græcè latinéq; divinâ gratiâ editorum opus morari desivit, sollicitè urgere nostri muneris existimavimus. Ut autem rectè & ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex vener. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrinâ & prudentiâ præstantibus, eam demandavimus, qui cum Consilio eruditorum virorum, variisq;, præsertim antiquis, & quæ circumferuntur, rituallibus consultis, eoquè imprimis, quod vir singularis pietatis Zelo & doctrina bon. mem. Julius ANTONIUS S. R. E. Cardinalis sanctæ Severinæ nuncupatus, longo studio, multaq; industria & labore plenissimum composuerat, rebusq; omnibus mature consideratis, demum divina aspirante clementia, quanta oportuit brevitate Rituale confecerunt. In quo cum receptos & approbatos Catholicae Ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine ritualis romani meritò edendum publico Ecclesiæ Dei bono judicavimus. Quapropter hortamur in Domino Vener. fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubiq; locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut imposterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ, omnium matris & magistræ autoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ Ecclesia Catholica & ab eâ probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM majorem, sub Annulo piscatoris, die xvij. Junii M. DC. XIV. Pontificatus anno decimo.

S. Cobellutius.

ORDO